

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA
SISTENS:
**THEORIAE INFLAMMATIONIS
CONSPECTUM HISTORICUM**

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

D O M I N I

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Siegl,
POLONUS KOCKENSIS.

MEDICUS CASTRENSIS.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae
hora 10. die 16. mensis Junii anni MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.
EX TYPOGRAPHIA FERDINANDI ULLRICH.

PLANNED
SOCIETY
STATE
NATIONAL
MILITARY

THE
NATIONAL
MILITARY
MILITARY

THE
NATIONAL
MILITARY
MILITARY

THE
NATIONAL
MILITARY
MILITARY

PERILLUSTRI SPECTABILI

AC

DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

MATHIAE STEINMASSLER,

ARTIS MEDICAE DOCTORI,

OPERATORI DEXTERRIMO, CELSISSIMI C. R. ARCHI-
DUCIS CAROLI ARCHIATRO ET MEDICO AULICO, REI
MEDICAE CASTRENSIS PRAEFECTO.

V I R O

SCIENTIA, ARTE, HUMANITATE, CANDORE,

BENEVOLENTIA INSIGNI

SUMMO BONARUM LITTERARUM

AESTIMATORI

F A U T O R I S U O

SUMMO MAXIMO

PRIMOS HOSCE STUDIUM ACADEMICI FRUCTUS

IN

VENERATIONIS CULTUSQUE PERENNIS

TESTIMONIUM

SACROS VULT ET DEDICAT

**DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.**

Inflammatiō est morbus frequentissimus, dum in omnibus organis atque corporis partibus sedem figere valeat; quapropter jure morborum genus quoque constituit, dum plurimis, diversissimis atque symptomata et adparitiones quod adinet persaepe maxime discrepantibus morbis subest, aut iiscum complicata incedat; sequitur perinde quam magna polleat dignitate, quamvis iterum nemo inficias ibit, eam nonnunquam difficillime tantum dignosci posse dum natura sua semper eadem, rationibus aegri vel ejus individualitate variis, nec non influxuum externorum vicissitudine, diversissimam induere valeat faciem, ita ut symptomatum, quae secus inflammationem concomitari solent, nullum sit, quod sub omni inflammatione in conspectum prorumpere valeret, ejus praesentiam evincendo; quare diagnosi hinc inde incerta, cum mortalibus insit nisus, formato conceptui consequenter agendi, etiam quae contra eam moliuntur, dum certitudine destituta vacillat mens, effectu coronante privantur.

Agimus in quantum licet principiis consequenter; diversa ergo, quam unusquisque de natura morbi sibi format notio, selectum contra eam adhibendorum determinat. Ad essentiam (naturam rei) conclusio a posteriori fit, dum ubique praesentia et essentialia phaenomena, ex adparitionum summa solum seligi possunt — eumque in modum praxi utiles construuntur theoriae. Quo largiora experientiae effata, eo facilius quoque et tutius intellectus theorias construere potest, dum quae pluribus vel omnibus competere invenimus dotes, constantes dicimus, quas essentialium nomine signare jure licet; Deficiente quamvis ea experimentorum serie, qua ut conclusio valida eformetur opus est, ex innato nobis conamine, sub prima jam rei alicujus manifestatione questio illico ex-

surgit, quid sit undeque veniat quod intuemur. Quod in genere valet, etiam morbo de quo loqui mihi proposui, consentaneum erit, etiam de inflammatione quamprimum proprium aliquod inter phaenomena morbum designantia efficere eam observantes convenirent, sua de origine atque natura dubia movere coeperunt. Quanta veritate tunc institutae indagationes gaudere potuerant liquet, si quantitatem praegrediendarum observationum perpendimus, quae ut morbi sub totidem formae modificationibus decurrentis aliquantum natura dilucidetur, opus est. Quare si jam a priori, principia inflammationis, quae ex singula casus cujusdam contemplatione desumpta sunt, fluctuantia, fallacia, erronea nobis adparent: omnes quoque conatus numerosissimi — id quod artis nostrae historia adfatim et luculenter demonstrat — inflammationis indolem atque therapiam ex meris hypothetice assumtis assertis deponere, inutiles sunt, aut penitus concidunt, aut ubi non obstante experientia quae contrarium probat, superstitione retinentur et prosequuntur, in litteris progressum pari ratione inhihent, quam aegrorum saluti, iis consequenter tractandorum adversantur. Nisus nobis jam connatus est phaenomenorum oculis obvenientium rationem reddere, seu earum naturam propius perspicere atque determinare, inflammatio vero morbis accedit quorum frequens atque sub diversissimis formis adparitio, in specie nostram sibi adrogat attentionem: necessario et historia, continens quid viro- rum celeberrimi hucusque cogitaverunt et hactenus divulgaverunt, jam eatenus nos alliciet, quatenus, recensendo et enumerando quaeque fuere, constructionem prius existentium serius refutatarum theoriarum evitare et ab erroneis nos praeservare docet repetitionibus. Talis enim est animi humani conformatio, ut qui evolvitur conceptus, quae primo generatur idea, si falsam perspicimus ipsi, aut de errore inhaerenti edocemur, cum meliori subministrata aut sponte generata facili permutemus negotio: fervore vero amplexam atque temporis tractu

quo mente eam volvimus, perdilectam ideam, etsi falsam eam alii agnoscunt, contra infestationes quascunque, omnibus propugnamus armis, victricibus quandoque, non ob rei de qua agitur veritate, verum ob indefessum, quod ne corruant quae solertia omni aedificavimus, adhibemus studium.

Sed nonmodo ut ab erroribus jam factis nos defendat, verum etiam ut practicum in modum, sit venia verbo, theoriam medicinae; nobis exponat, scrutinio et indagatiōni subjicitur inflammationis theoria; historiam enim partis hujus amplissimae nobilis artis nostrae cum cultura quam temporis tractu medicina in genere nacta est, pari semper incedere necesse suit passu, ita quidem ut, quae medicinae adcreverunt cognitiones quaeque circa summa in ea principia statuebantur opiniones, in conceptus atque notiones de natura inflammationis et hinc etiam in therapiam redundare atque hic in focum lucidum quasi collecta resplendere debuissent. — quin altera ex parte, quid sedula originis, symptomatum, decursus, exitus, juvantium et nocentium observatio, in morbo, ut ita dicam ante oculos saepius manenti doceat sua in medicina careat utilitate, quare historiam partis adgredienti totius decursus historicus antecellere debuit.

En rationes cur hujus morbi historia tanti mihi sit, inque adtractione hac individuali venia, hactenus quidquam scripsisse.



Inflammationem qui primus morbum dixerat ita nos latet, prout momentum quo hoc contigit. Verosimile est, observatoribus eam primitus adparuisse tamquam singulare aliquid, saepius contusionibus et vulneribus accedens. Haec vero, quid morbus sit, primos fuisse doctores, exinde arguendum, dum inflicta, cum dolore impotentes ad liberum artuum exercitium reddidere, eoque aegrotos, in sensu primordiali; nam utrum senectutem primis jam temporibus morbum appellarunt, dubitare licet, hanc vero si excipias, ratio vivendi talis hominibus erat, ut vix assumere liceat, alio ex fonte, quam majoris, vicissim aut per animalia, facti vulneris vel contusionis vehementioris gratia, eos decubuisse.

Quodsi laesiones illae externae primum erant quod homines eorum singularem habere respectum coëgit, profecto cum observatione decursus etiam adtentos fecit varia morbi adparitio ad singularem in intuitione imaginem in tempore habitum, prout feбри comitata intravit inflammatio aut secus. Si vero hodie dum adhuc, ubi regimen, quod vulnerati suasponte servant, medico desiderio satisfacit, inflammationes tam frequentes vulnerum et laesionum comites sunt: quanto crebrius et intensius igitur, et magis manifeste hoc priscis contingere debuit temporibus; ex quo cum verosimilitudine conclusio duci potest: inflammationis historiam ibi incipere, ubi morborum innotescerant primitiae, quin tamen, quamnam gentes antiquissimi hactenus fovebant opinionem, constet; ut circa inflammationem et eorum exitus, qui primas sibi comparare cupit notiones, non ultra *Hippocratem* regredi quaeat.

Vir ille, quantum in medicina praestitit, transeo, opinionem, quam de inflammationis origine habuit, adducturus. Proximam causam inflammationis, quae sub

phlegmones, phlegmasiae, phlogoseos nomine venit, in irritatione, humorum et sanguinis orgasmo et mutata caloris animalis ratione reponit. Paucas hasce speculationes antecedunt, prout vir hicce semper facere consuevit, collecta per experientiam genuinam exempla et deductiones inde depromptae, quae si potius sensum, quam modum signandi respicias, eadem sunt, prout ad hodierna usque tempora ab omnibus scriptoribus classicis adducebantur.

Subsequens schola sterilium speculationum plena *Dogmaticorum*, ad quam *Thessalus* et *Draco*, Hippocratis filii pertinent, analiticas et syntheticas formae mutationes praeprimis sibi eligens, quam maximis utebatur ambagibus, imo eas creabat, ut theoretice lites dirimat, quas praxi tantum tunc solvere licuisset, sic v. g. de venesectione instidueda, ejusque loco in inflammationibus.

Pro tempore saltem philosophia Stoeae et *schola Alexandrina*, indagations sterili hocce themati abducendo, alias studium dirigere conabatur: Natura noscenda est, hoc erat eorum principium, quam si noveris, nosque homonymum in modum constructos animadvertes, leges utrisque analogas, ex observationibus in rebus externis depromptas, corpori humano adcommodare scies; quae ut constant, analogiam inter corpus humanum et mundum externum, ubicunque licuit, palam ostendere adnitebantur, sic prima anatomiae comparatae germina extricantes. Hasce comparationes ad summa usque principia prosequentes statuerunt: causa universi ignis est aeternus, omnia elementa penetrans eaque vita imbuens, quam variam vivunt entia, prout germina praeformata, in diversa protruduntur systemata et organa a spiritu recondito — principium hominis spiritus igni similis est, quippe fugax sanguinis vapor. Ex quibus liquet, distinguere eos partem vitae formantem et vitalem dynamicam. En jam hic primam artis medicae in medicinam et chirurgiam sepsim.

Hoc aevo vivens *Aristoteles*, cujus in historia naturali nec non anatomia comparata excelluit ingenium, tales de materia et vi conceptus statuit, quales hodiedum persistunt.

Coaevi *Herophilus* et *Erasistratus* ex dislocationibus fluidorum et pneumatis morbus explicarunt, itaque febrim et inflammationem ex transgressu sanguinis e venis in arterias pneumati destinatas. Hypotheses infirmas de efficientia materierum elementarium et virium jam illius periodi medici derelinquentes *scholam empyricam* fundarunt, *experientiae* solummodo fidendum esse docentes. Hoc juvat, illud nocet, natura impenetrabilis est: haec erant eorum dogmata. In hoc conamine ulterius progredientes unus quid hic, alter quid ibi juvet observabant — et sic pro singulis morbis medici surexere. —

In medio virtus, cogitabat *Asclepiades* et ejus asseclae *Methodici*, quin tamen medium illud assequerentur; nam designatione et determinatione illius intenti, quod commune erat pluribus morbis, theoriam morborum statuerunt ad pathologiam et therapiam generalem filum ducens promittentem, quin tamen lateralitas, in reductione omnium, quibus morbi patefierent phaenomenorum ad causam fundamentalem duplicem: *expansionem* et *relaxationem*, conspicua, in hoc tramite ulterius progredi permetteret. Dogmata eorum, ex regnante tunc systemate *philosophiae corpuscularis Epicuri* deprompta, huic conformiter docuerant: inflammationis naturam in tensione quaerere, quam atomorum, forma diversorum, compressio pedisequam habet. Viguit haec theoria circa Ch. n. Romae helluonibus repletæ, atque luxuriante vivendi ratione origini morborum diversissimorum faventi, quapropter eventum therapiae his innixae principiis respiciendo, non injusta, quam *Martialis* adfert, sententia, medicos tunc curantes morborum medelam pungens: *Quod aegros Themison autumno occiderit uno.* —

Eodem tempore quum Romae ex atomorum compressorum aggregatione natura inflammationis explicaretur: in Graecia *ignis* (spiritus) et *pneuma* dogmaticorum, principia explicationis omnis vitae sanæ et morbosae largiebantur, dogmaticos *Pneumaticorum* nomine insigniens, quibus ergo *pneuma* (spiritus) densum, calidum, siccum inflammationis causam continere visum est. En pathologiae

humoralis et solidarum miscelani. — Dum ex vagis his systematibus, medicorum singuli, quae optima illis videbantur, seligerent *Eklektorum* tribus ordiebatur. *Aretaeus Cappadox* illorum princeps ex chemicis principiis deductam theoriam sanitatis et morbi tradidit, cui de pneumate, temperatura et siccitate elementorum fragmenta intercalavit; in therapia experientiam ducem sequebatur. Inflammatio sanguini in vias pneumaticas impulso debetur vel accumulationi in venis eximiae, ideo venaesectioes juvare affirmavit. —

Glaudius Galenus, artis medicae reformator, cum eruditione insigni eam mentis facultatem nectens, qua forinsecus ingestae assimilantur cognitiones, quae docuit, auctoritate, quam in medicina nactus est, adeo firmavit, ut per saecula intacta, prolatorum oraculi adinstar, venerarentur. Magis in contemplatione atque cultura universalium quam specialium, sive ejus in morbis observationes, sive regulae therapeuticae considerentur, excellens, de inflammatione quae proposuit, praegressas redolent scholas. Inter humores enim corporis cardinales, quorum numerum ad quatuor restringit, sanguis ille est, qui ex prima elementorum qualitate repetendus; ad quem ergo formandum nulla crasis (mixtio elementorum) quorum praesentia secundarias corporum qualitates constituit, intercedit. Inflammantur organa sanguine in organis accumulato, quibus secus deficit, aut si praeter recipiendi facultatem in organis accumulatur, aut temperaturae praeter normam altioris est. Sanguinis qualitates diversae, differentes quoad indolem, efficiunt inflammationes; dependent vero ejus qualitates ab admixtione pneumatis, (*πνευματωδης*) bilis flavae, erysipelatosae (*ερυσιπελωδης*) mucis, aquae. (*φλεγματωδης*) aut ab omni admixtione, immunis est, (*φλεγμονωδης*). In evolutione et descriptione symptomatum characteristicorum solers, secundum eorum dignitatem, indicationem et therapiam ponit. Inflammatio juxta mentem ejus aestu, tumore, dolore, motu pulsanti atque rubore incirrens, percurrit porro stadia iucrementi, acmes et decrementi, atque

vel resolutione terminatur, vel suppuratione, induratione aut gangraena. Huc quidem per hypotheses, verisimilitudine aliquando destitutas, devenit, quae tamen therapiae non nocent, quae: causarum remotarum praecipuum respectum habere, aegrum ab initio statim juste tractare, atque non obstante morbo locali, integrum corpus curara jubent, quod evacuantium praesertim perficitur ope.

Galenum in medicina sequutum est saeculum unum aliudve caliginis, in quo ab initio efata herois hujus leges agendi dictavere; quo magis vero decenia posteros ab eo removerent, eo magis neglecto omni scrutinio et argumentatione, caeca fides dictis habebatur, quae in medicinam eo facilius irrepsit, dum per mundum grassaretur. — Reticeo saecula haec medicinae mystica et causarum expositionem, ubi verosimile fuit, in astrologia necromantia atque magia nobilem artem nostram penitus interituram, ni per gentem juvenem *Araborum* cum cognitione linguae graecae et romanae, etiam scientiae his linguis reconditae cumque his medicinae effata ad eos devenirent.

Prout per *Arabos* in oriente, inter quos *Avicenna* longe celeberrimus, medicina veterum ab interitu eripiebatur: ita solertia et studio *monachorum* in occidente superstites priscorum medicorum effata multiplicabantur descriptione. Medicinam ergo tunc coluere *Arabi* et *Monachi*; quorum illi, chemicis additamentis ad pharmacologiam exceptis, nil praestitere, hi dogmata religionis cum medicinae dogmatibus copulando non minus mystici quam scholastici valetudinis ministri jure praedicantur.

Nil medicinae in genere, nil inflammationi adcrevit neque saeculo decimo sexto, sub omnium scientiarum regeneratione. Studium anatomiae atque scriptorum graecorum originale id perfecit, ut observatio sedula resurgens, falsa bonis intercesisse concederet, vinculaque auctori-

tatis dirimeret. *Fernelii*, *Felicis Plater* huc nomina veniunt, qui quanvis inflammationem quod adinet, penitus *Galenum* sequebantur, in pathologiae, generalis tamen expositione praeter humores nouminus partes solidas earumquae functionem respiciunt, in humoribus causam, in partibus solidis naturam, inque functionibus symptomata morbi quaerendo. Multae nunc exoriebantur in medicina controversiae, quae in inflammationis doctrinam non redundare non poterant, et quorsum a *Brissot* motae discussiones de loco ad venaesectionem in pleuritide, de venaesectione derivatoria et revulsoria, aliaque pertinent, principii Galeni attamen inexpugnate relictis. Infestabantur dogmate haecce a *Joanne Argentiero* et aliis, magis magisque irrepsit libido, quae prisca vetustas veneranda protulit systemata, Galeni, Aristotelis lacessere, invectionibusque adgredi, subvertere.

Vixit saeculo decimo sexto *Paracelsus*, primus, qui systema Galeni, prius jam impugnatum, conquassare adnitebatur. Quin, quae circa medicinam meruit, exponam, eum primum fuisse, qui chemiam penitus neglectam scopo medico colere et pharmaca efficacia inde depromere docuit, historia testatur. Multum superstitionis astrologiae, et magiae principiiis ejus adhaerere, prolata ab eo de inflammatione quoque confirmant: Phlegmone neque mortem, nec paralyisin, nec damnum aliud involvens ad Apostemata pertinet, oriturque ex abundantibus sulfure et mercurio in sanguine; salem enim, si his addideris elementis, omnis materiae, organicae, omniumque morborum causam enumerabis. Humores coacervati tumorem gignunt et serius ociusve in corruptionem transeunt, quae sequaela coeva inflammationis, causa doloris est, per salis proportionem intensi. Signa phlegmones externa tensio sunt et rubor, quae per tempus sibi relictasupuratione terminantur, qua natura sanationi prospexit ex humoribus balsamum (*Mumia*) formando, quo vulnus sanatur. Mumiae vegetabiles analogas recondunt virtutes, dum in mumiam animaleam convertuntur;_ quapropter

adhibeantur, ubi haec deficit, ni hoc, oritur ulcus apostematosum sive fistula diuturna; ab initio vero agrediat morbus venaesectione, roboretur spiritus vitae, ne dolore exhauriatur, purgetur corpus diaphoreticis atque specificis, topice tunc solum emplastrum Opoteltoch applicando, si naturae — medico praestantissimo — balsamus innatus deficit.

Divulgatum hocce systema praecipue per Germaniam, cum assectis et adversarios excitavit, erroneis et superstitionis opposites, utilibus correctione prospicientes; huc *Libavius* pertinet, de Chemia meritis, quam a mysticismo liberare adnitebatur, illuc inprimis *van Helmont*, qui profunditate ingenii excellens, praeter materiam ejusque mixtionem primus virium in organismo viventium rationem habendam esse docuit. Systema dynamicum construxit, in quo tamen a mysticismo penitus sese defendere non valuit. Summum ipsi principium *Archaeus* est, vis vitalis omnibus prospiciens suae spontis aformis, qui ope duorum elementorum — foecundantis (fermentum) et concipientis (aqua) — corpus construit. Reliqua ergo, quae sunt: sulfur, sal, et mercurius, non amplius simplicia habenda, quamvis indecomposita. Quae in corpus agunt; commercium eum archaeo ingrediendo, hoc mediante experiuntur reactionem, variam, prout diversimode eum sollicitarunt. Inflammatio morbus est, quem iritamentum in parte quadam reconditum (spina) eatenus provocat, quod sanguinem huc fluere determinat; qui ergo curetur, iritamentum amovendo, ceu causam morbi, eoque subsequentium symptomatum, nequaquam vero unum aliudve horum compescendo; nil itaque venaesectio prodest, quae sanguis corruptus, quod nunquam contingit, eliminari deberet; neque laxans, quod, dum falsum est humorum unum aliumve eo separari, omnes eliminando, debilitare tantummodo potest. Obicem his ponere conatus est pathologiae humoralis, dum conditionem humorum et massae organicae a vi corporis vitali dependere, atque in tractando morbo non

symptomatum, verum potius causarum rationem habendam esse docuit.

Non placuere hæc, dum mysticis obnubilata expressionibus, cum chemicorum indagacionibus et philosophorum prolato discrepabant interdum; quin tamen absque fermento phoenomenorum explicaretur adparitio, quare illud, nascenti nunc *scholae iatrochemicæ et iatromathematicæ*, aequè arridens, in utramque transiit. Vixit ad medium saeculi decimi septimi *Cartesius*, cujus principia scholasticam et dialecticam philosophiam subvertebant. Ille trinam omnium corporum dimensionem docens ideoque spatium corporibus aequiponens, vacuum negat. Oriuntur corpora per aggregationem corporum elementariorum; pro diversitate ergo hujus connubii oritur diversa eorum forma et crasis, a quibus eventus in functionibus dependent. Motus organicus per circulos producit, quos corpora elementaria minora circa majora absolvunt, quo gas vitale (fermentum) extricatur quodque in corde ventriculo, causa circulationis, digestionis atque caloris est. Doctrina hæc atomis scrutandis et detegendis operam navans, microscopii usu serius multa utilia palam fecit; attamen cum causam mutationum in fermento reconderet, chemico processu omnia perfici mentem humanam credere fecit. *Sylvius de la Boë*, ommissa vi interna *Helmontii*, ejus solum fermento omnes processus explicari ratus, morborum duplex genus statuit, cura acido et alcali praevalente notatos. Has acrimonias moderare, corrigere vel eliminare studens, antidota et sudorifera suadet. Neglecta in tractamine vis vitalis et solidarum partium conditio, eventus in praxi tristissimos induxerat. Ut inflammatio oriatur necesse est, sanguinem per rexin, diapedesim, aut alio modo vasa sua linquere; ad quod determinatur per stagnationem, plethora majori, vel angustatione congestiva aut compressiva, hæcque externa sive interna ut muco, sanguine coagulato etc., inductam. Sanguis accumulatus partes subtiliores, volatiles extricat, quorum secessu temperies partium fixarum,

salinarum et acidarum deperditur, quae inde acriores redditae, intensius vicissim reagunt, atque cum sensu molesto ardoris efervescunt, inflammantur, qui processus sensim corruptione accumulatorum terminatur, quod suppuratio est. Quae contra huncce processum moliantur, compressionem aut obstipationem vasorum tollant; removeantur ergo externa, si haec in causa sunt, si vero emphraxin mucus vel sanguis coagulatus produxit, humidum stagnans fluidisetur, quod interne salia volatilia, externe olea et unguenta atque cataplasmata ex acribus et aromaticis perficient. Prospiciatur porro, ut fluidorum alacrior inducatur fluxus, quod sudorifera interdum et venaesectio efficiunt. Si quae effusa jam sunt, cita eorum inducatur resorptio, ut suppurationi praepediatur, quod si jam fieri nequit, maturetur pus, et quantocius eliminetur; quapropter emolientia et incisiones adhibeantur. Ulceris suppurantis purgationem balsamum sulfuris efficit.

Aeriter, quin tamen prospere huic systemati opponerentur medici Galli; feliciter adversabantur Angli, experti falsitatem principiorum et deductionum. Idem in Germania factum est, quin tamen et hic medici ab omni chemismo immunes reperirentur; sic castiorem quidem, attamen *Sylvium* redolentem doctrinam *Ettmüller* proposuit, de inflammatione sequentia proferens: Si per arterias plus sanguinis adducitur, quam per venas revehitur, sanguis stagnans incenditur, usque dum eorumpitur atque suppurat, si vero nil prorsus recurrit, per mortem sanguinis gangrena intrat, qua pars haec vita spoliatur. Phoenomenorum et causarum explicationem cum *Sylvio* communem habet, praeter quod circulationem per sanguinem crassum, sero egenum, in coagulum primum aequae stagnari contendit, cujus causam acidum corruptum majori quantitate sanguini admixtum continet: alias etiam ipsa vasa sanguifera circulum inhibent, per majorem eorum sensilitatem, quo in inflammationem dispositio oritur.

Praeter resolutionem, suppurationem et gangraenam

etiam scirrhus inflammationis terminatio est, ortus ex superabundante in sanguine acido. In therapia cum indicationibus similibus etiam Sylvii analoga proponit pharmaca, praeterea Roob Sambuci in inflammationibus erysipelatosi, dietam lacteam in suppuratione, prout haec experientia suadet.

Recesserunt sensim medici a theoria medicinae, chemicis innixa fundamentis, utpote edocti, neque summis principiis fidem strictam habendam esse; dum quod *Johannes Bohn* probavit, succus gastricus non acidum contineat et digestio neque efervescentiae neque fermentationis sit processus. Invaluit systema iatromathematicum, philosophiae Cartesianae respondens, statico-physiologicis investigationibus *Sanctorii* et detectionibus *Harveyi*, qui corpus organicum a sanguine eum in modum perflui docuit, quemadmodum urgetur aqua in machina hydraulica; cumque auctore *Galilei* celebratae in mathesi, astronomia, architectura, et physica fierent detectiones: ab assecla ejus *Borelli* mathematica et physica medicinae applicata in unum coaluere systema iatromathematico — mechanicum; quin tamen et nunc auctores omnem in functionibus chemicam respuerent explicationem, dum v. g. musculos motus legibus mathematicis conformiter perficere, eo vero per sanguinis et nervorum fluidum in musculorum parenchymate convenientium, determinari docuissent, ita ut *Bellini* primarius *Borellii* assecla non resrueret singulas se — et excretionum functiones ex fermentationis processu ad morem Sylvii explicare.

Inflammationis theoriam schola haecce sequentem in modum tractavit; violentam in partibus vasculosis iritationem, ob majorem vasorum minorum contractionem, sequitur major sanguinis huc determinatio, oritur sic rubor sine tumore (*Erysipelas*); obstaculo vero difficilius superando, sanguis diutius commorans, per accedentem novum, cum tumore inflammatur (*Inflammatiostrophica*), pulsumque aberratione, ardore et reliquis signis charac-

teristicis manifestatur. Per fermentationem coacervatorum oritur suppuratio, scirrhus etc. etc. Chemica cum his interdum introducentur dogmata, auctorum unus alterve ea exterminare moliebantur, sic *Charleton*, *Pitkairn* scripsere.

Parum inflammationis theoriam quod adinet, *Hermanus Boerhaave* cum his discrepabat. Sub motu febrili sanguinis particulae fortius in vascula minima premuntur, et sive hoc arteriarum fines sint, sive dilatata ostia vasorum lymphaticorum, sive alia vasa minora, per frictionem, quam impressi globuli experiuntur, oritur calor, per eorum compressionem rubor; microscopicae enim *Leeuwenhoekii* investigationes eo seduxere, ut globulus sanguinis ruber ex flavis sex, horum unus ex albis iterum sex constare assumeretur. Ea, quae motum febrilem atque pressionem globulorum efficiunt, varia assignantur. Phoenomena inflammationis ita explicat: oritur tumor ruber perextensa secus vix visibilia vasa minora a sanguine; dolet, quia ad maximum dilatantur; accedens novus sanguis, ut fluidae et solidae partes valdopere comprimantur in causa est, sub forma durities resistentis et coloris splendentis; extricatur calor et ardor per majorem sanguinis intrandi nisum huicque oppositam resistentiam, praesionem, dilatationem vasorum eorumque contractionem, per frictionem ergo his omnibus inductam vehementem; pulsans tandem producitur motus per insequentem sanguinis in vasa minus pervia pressionem horumquae vicissim renisum; incitati pulsus explicantur per fibram iritatum et sanguinem ocus per vasa patentia vectum; atque ita oritur febris, sitis, aestus aliaque inflammationem comitantia signa. Inflammationis exitus quatuor assignat. Resolutio subsequitur: causa obstipationis mitiori neque inveterata, infarctu in arteriarum finibus et vasorum lymphaticorum recondito; mobilia hic vasa fluido diluente permeantur quae materias stagnantes solvendo inflammationem amovet. Suppuratio oritur si materia influente quamvis blandi, haec tamen stagnantia solvere nescit; ubi sub im-

petu majori per rexin et efusorum coagulationem oritur materies proprii habitus, pus; quae ichor est si non mite est quod influit sed acre, quo pars adfecta inquinata livescit, colore fusco nigricante tegitur et cum caloris et doloris iminutione tandem et pulsans cessat motus, pars demortua gangrena notatur. Stagnatione in partibus glandulosis obviente inspissantur fluida sique canales excretorii infarciuntur, aboliuntur, sensim impervii fiunt, praesto est scirrhus. Prospicit therapia, ne vasa magis adhuc laedantur per sanguinis nimium in ea impetum; quare hunc in finem causas adaucti adfluxus amovere atque fluentium copiam imminuere studet, id quod sanguinis missionibus, purgantibus, derivantibus atque remediis perficit, motum sanguinis universum et in parte adfecta componentibus, ut sunt aer siccus frigidus, quies animi et corporis, diaeta tenuis etc.; id quod insimul stagnantia fluidiora reddet, dum quae minori copia adsunt, per continentium elasticitatem ultro pelluntur, diluendo ea per potus frequentes tenues aquosos tepidos quod et remedia externa adjuvant. Restituatur tandem crasis humorum mitis: potu aquoso mucoso, cibo stimulo experti, pharmacis involventibus diluentibus aut specificis agentibus. Quae vero effusa sunt, retro pelluntur deplendo arterias et venas, relaxando fibram muscularem atque frictione externa. Hanc quam de inflammatione dedit theoriam, respectu ad vim vitalem penitus destitutam, ipse jam autor in praxi negligit, experientiam duces sequens; quapropter mirum non est, cur medici coevi ad interpretanda singula alias confugere. *Georgius Ernestus Stahl* rationem adparitionis in natura humana, spirituosum internum spontaneum quoddam arguens, illud animam adpellavit, in qua principium vitale reposuit, quod in corpus materiale dominatur, quippe in adparatum organicum functionibus animae sollicitandum atque ea a dissolutione perfecta ad mortem usque tuendum. In anima omnis motus, ergo et omnium ejus anomaliarum causa quaerenda, dumquae animae energia infracta, resolutionis nisus coerceri nequit, ille exsuperans mortem sistit;

cui molimina conservationis sui antecedunt, anima adhuc pollente, quae si sufficiunt in morbis sanationem inducunt, quod sub convulsionis et spasmi in partibus solidis: febris, congestionis, haemorrhagiae forma in partibus fluidis patet. Inflammationem praecedunt: plethora, cujus proximae sequelae congestio et stagnatio sunt; illa motu fluidorum adaucto stipatur, haec retardato aut inhibito, illam natura sanat profluviiis, quae si congestionem diutius perstante non contingunt, in stagnationem fluida abeunt, quam natura vincere intenta, sub molimine majori, sub spasmio summo inflammationem excitat ceu sanguinis stagnantis coagulationem.

Suspiciabatur Stahl sub congestionem sanguinis activum, sub stasi passivum partis cujusdam virium statum, quae sollicitatoris in reliquum organismum vices gessit, et cui, si per vim medicatricem non contigit stagnationem dissipare, sub caloris nimis intensi, tumore duri rubri et eximie sensibilis symptomatibus inflammatio sequebatur; quae maximopere partibus superveniens sanguinis influxui faventibus ut musculis etc., calorem adauctum a nisu motum inhibendum prosequendi, dolorem a sensibilitate majori per calorem adauctum et tensionem inductam, repetit, quibus fit ut sanguis quovis momento violenter in partem adfectam vectus, inamene eam feriat. Inflammationem excipientes processus: resolutio stagnantium est, aut si haec induci nequit, suppuratio. Oritur vero pus ex sanguinis in parte inflammata coagulo, ex quo, fugatis insequuto processu decompositionis particulis volatilibus (sulfureis), crassiores remanent atque colore albo notantur, dum in subtilioribus causa rubedinis haereat. Processus hicce suppurationis in partes solidas interstia sanguinis coagulati efficiens, aequae agat necesse est, sique et hic resolutio subsequitur, formatur ulcus; gangrena vero, si sub causae materialis continuo influxu, inflammatio, cum caloris ruboris et tumore semper incremento, culmen attingit. In therapiae expositione, primum staseos respectum habendum esse affirmat, quam leviores solvere nonnunquam licet re-

mediis motum vasorum incitantibus v. g. camphora; quodsi vero neque stagnatio solvi neque humorum adfluxus inhiberi vel moderari potest, suppuratione nunc efflorescente, puri exitus concedatur, quo pars adfecta eum in modum purgatur, ut molimen sanationis rite procedat.

Cujus nunc in praxi medica resplendet ingenium, *Thomas Sydenham* erat, qui quamvis ante *Boerhaave* et *Stahl* vixisset, seriori tempore demum inclaruit, dum non luxuriantis ingenii signa coleret, verum speculativa systemata omnia spernendo, genuinam ad *Hippocratis* modum indefesso passu prosequeretur experientiam, quae quid in morbis proprium sub temporis et spatii vicissitudinibus obveniat, melius patefecit observanti; quam praesagire maxime haec utilia licuit summas rerum origines scrutantibus coevis. Cum in constitutionis morborum epidemicae descriptione maxime inclaruisset; inflammationis profecto magnum habere respectum debuit, dum suo tempore regnantem genus: inflammatorium, characteris sthenici diceret, quapropter inflammationem, morbum frequentissimum; cuius tamen uberiores expositionem frustra quaerimus, dum observator ille castissimus, transitu ad therapiam facto, characteri inflammatorio — sthenici methodum antiphlogisticam ubique opponit, eoque regulas perutiles condit in curandis morbis, quos *Sylvii* aeseclae calefacientibus venaenaque pellentibus adgrediebantur, id quod et *Morton* *Sydenhami* coevus suadet, in ceteris nihil ab ipso discrepans, utilissimus eo, quod methodum excitantem nequaquam oblivioni tradendam, verum pro re nata praeter debilitantem in usum ducendam monet.

Stahlii theoria medica sensus interni ut plurimum progenies, *Sydenhamii* nunc vulgata, experientiae et observationis filia, eo hujus aevi medicos determinavit, ut utramque amplectentes *Eclecticorum scholam* conderent. Huc maxime *Fridericus Hoffmann* pertinet ut qui experientia fundatum condere adnitebatur systema, in cuius tamen constructione a regnantibus tunc — *Glisonii* vi energetica utpote fundamento efficientiae vitalis et omnis motus principio et *Leib-*

nitzii activa vi motus, omnibus corporibus propria qua interna efficacia sunt et quare vicissitudines quas subeunt in illis ipsis reconditae non a materia dependent — quippe valde obscuris et in deductione unilateralibus principiis, non immunis animadvertitur. Unitis viribus a materia corporis repetitis iiscum quae ab anima derivantur, mechanicas aevii sui sententias dynamicis copulavit, praevalentibus attamen principiis iatromathematicis: vitae, mortis, sanitatis morborumque causas ex sanguinis circulo eoque libero, moderato et aequabili vel turbato deducens; quapropter et inflammatio in stasi sanguinis radicatur, in cujus tractamine rectum inter expectationem et actionem tramitem sequitur. —

Qui nunc exurgit de Physiologia nec non Pathologia meritissimus *Haller*, iritabilitatem fibrae muscularis propriam vitae adparitionem a sensibilitate diversam statuit, atque inflammationem productum esse conflictus iritamenti et vis vitalis in corporibus solidis, morbis adnumeranda, ex motu fluidorum accelerato per fortio rem motum vitalem partium solidarum inducto, repetendis; motus hisce non ab incitata solum cordis actione verum etiam a singulorum vasorum energia majori dependet, quibus prout cordi incitationis inest facultas. Per circuitum sanguinis vehementiorem et actionem partium solidarum adauctam major oritur contritus, ex quo calor adauctus repetitur; quod vero sanguis in coagulum pronior animadvertitur a spissitudine ejus majori quam inducit dissipatio partium sanguinis serosarum, derivandum. Ex arteriis in vasa lymphatica pelluntur globuli sanguinis rubri, ea dilatando varia inflammationis symptomata producunt, causam omne id agnoscentes, quod impulsum huncce provocare valet: potentias irritantes externas, motus vehementes sanguine spisso etc. Hanc theoriam latius explanavit ad medium saeculi decimo octavi vivens *J. de Gorter* exitus morbi hujus inprimis determinas de quibus dixit: Terminatur inflammationis processus 1. *Resolutione* quae *crisi insensibili* vel *sensibili* absolvitur: prout motu vehementi fluidorum

cessante, non decucurrit tempus quo impulsis in vasa minor globulis sanguineis, in majora quin alienati forent regredere his licet; vel jam ea in iis obtinuit mutatio, ut sanis immediate admisceri nequeant, quin tamen vi vitali, suffultae remediis congruis, inhibeatur facultas ea assimilandi, quod critica in urina signa aliaeque excretiones patefaciunt; quodsi in circulum ducti humores insufficiente vi vitali organis excretoriis non traduntur, oritur *metastasis* 2. *Suppurationem* modo consueto explicat sic et 3. de *scirrho* loquitur, tamquam de exitu inflammationis in glanduloso parenchymate, 4. de *gangraena*, tamquam de processu, per rexin minorum vasorum, quam irritabilitas fibrae sanguinem pellentis induxit, oborto. Indicatur, irritabilitatem adauctam imminuere, derivare, sanguinisque spissitudinem infringere, quod venaesectione, *sine tumultu* evacuantium insimul refrigerantium, interne et externe relaxantium, tepideque summendorum specificè diluentium ope perficitur, quo praeter sales nitrum, fructus acidi ipsaque acida et alia pertinent.

Ad eandem fere normam systema *Gaubii* constructum est in quo — inflammatio ad morbos pertinet, irritabilitate morbose aucta notatos; haec enim motum oscillantem et partium solidarum tensionem provocat, cujus sequellae: dolor inquietudo vasorum contractio, obstipatio, congestio tandem inflammatio sunt.

Medici senioris aevi unus Boerhaavei alter Hoffmanni, Stahliani, systemati sequentes theorias Halleri pro parte immiscendo *Eklepticorum* numerum constituunt quorsum *Eberhardus*, *Rob. Whytt* aliique pertinent, fructibus optime dignoscendi. Sic *Whyttius* causam atque naturam inflammationis non in vasorum obstipatione recondi affirmat, verum in iritatione in cujus sequela contractio et obstipatio vasorum, sed etiam his absentibus, inflammatio oriri potest in partibus immediate influxui iritationis obnoxiiis, non semper ergo a motu cordis dependet; nam ubicunque haec in parenchymate observatur iritatio, ibi excitata majori vasorum contractione, sanguis e vasis majoribus in

lymphatica pellitur, hicquē corporis peregrini adinstar insolitos, vehementes producit motus eoque inflammationem.

Sic et *Magenise* contra Boerbaavii assertum contendit, inflammationis causam non in obstipatione, verum in iritabilitate vasorum haerere.

Ad rationem Halleri etiam *Brambilla* conatus est explicare inflammationem, quin tamen ab opinionibus materialibus immunis agnoscat. Sanguis, quantitate majori qualitate spissiori advehitur finibus arteriarum textus cellulosi vel integumentorum, quare eodem quo secus tempore, in venas ejus inhibetur transgressus, ut ergo pars una sistere et accumulari cogatur, quo perietes vasorum extenduntur et tumoris praeternaturalis phaenomenon gignitur; his partes vicinae iritatae et tensae dolorem efficiunt pungentem tum pulsantem; neque deficit calor adauctus per contritum inter vasa et sanguinem majorem. Causa inflammationis iritatio major partis cujusdam est. Adparet sub forma phlegmones, vel erysipelati aut oedemati aut scirrbo accedit, prout ad tumorem efficiendum vel sanguis merus, vel lymphae major copia, vel aliae circumstantiae contribuere. Sedes inflammationis vasorum termini sunt. Exitus inflammationis sunt: resolutio, haecque iterum benigna aut cum metastasi incedit; suppuratio, ad quam sanguinis stagnantis in arteriis resolutae partes atque alienatae contribuunt, dumque his rexis finium vasorum, emolitiō partium solidarum adjacentium inducitur, adipis calore liquati admixtio pus crudum constituit, quod viscidum fluidum sub integumentis coacervatum, abscessum producit. Induratio oritur per materiam crassam lymphaticam sensim inspissandam. Hygroma resolutioni sanguinis debetur aut relaxationi fibrae, quo fit ut vasorum exhalantium munus majorem serosarum partium copiam in textum fundat cellularem sensim inspissandam. Gangrena, summae inflammationis exitus est, sub qua pars organica vita spoliatur.

Medici, hucdum symptomatum inflammationis collectioni intenti, id sufficere rati sunt, ut ad naturam hujus morbi, quam in adfluxu sanguinis ad partem inflamma-

tam fortiori plerique reposuerunt conclusio vera et firma moveatur. — *Burserius de Kanisfeld* hocce, symptoma inflammationis, non vero naturam ejus efficere docuit, quam in irritabilitate vasorum sanguiferorum reponit, eoque characterem fundamentalem inflammationis determinat, inde fortiolem sanguinis influxum derivando; nam sub alacriori vasorum contractione et subsequa expansione sanguis eorum lumen citius permeat eoque novus in vacua brevius redeuntia allicitur et ex hoc fonte explicatio phaenomenorum derivanda. Obvenire potest inflammatio, quorsum ruber adfluit sanguis, quare praecipue in arteriis minimis et textu cellulari, in cujus late extensis loculamentis sanguis, per arteriarum ostiola relaxata aut alio quocunque modo, funditur. Crusta inflammatoria signum pathognomoricum non exhibet indolis inflammatoriae sanguinis, quae cum ipsa inflammatione aequae non est confundenda, tunc primum prodeunte, si conditioni primae accedit actio adaucta et motus acceleratus partium solidarum. In euphraxi tunc solum radicatur inflammationis origo, si materiae stagnantes acrimonia propria, aut stasi, iritamentum singulare producere sciunt. Eventus quod adinet a reliquis non discrepat.

Ut feliciter tractetur, omne iritans amoveatur, sanguinis nisus in partem inflammataam minuatur, actio vitalis exorbitans moderetur, acrimoniae obvolvantur aut in actionem concitatae evehantur; quae largas — reiterandas phlebo — et arteriotomias, usum remediorum externorum quae mox emolientem, mox retromoventem, exsicantem, resolventem actionem exserunt et a tensione dolente aut calore sicco aut laxitate et humiditate partis postulantur; ad finem inflammationis retropelentia et roborantia; in suppuratione emolientia et antiseptica; in gangraena roborantia et antiseptica; in induratione, quamvis sine majori stimulo, attamen efficaciter resolentia adhibere suadet.

Si Halleri iritabilitatem in theoriam etiam inflammationis per tempus non exiguum influxum exercuisse ex hac parte vidimus, conatibus hujus in physiologia maximi

viri, nec non aliorum coaevorum *Valsalvae, Winslowii, Monroi, Albini, Morgagni, J. Frd. Meckelii, Guil. Hunteri*, formabatur ad saeculi decimi octavi finem, tot tantisque fluidorum relationibus diversissimis ad se invicem et ad solida quibus communicabantur perspectis, *pathologiae humoralis schola* cujus auctor et fundator *Chr. Ludw. Hoffmannus* erat. Principium vitae etiam partium solidorum vim iritabilem et sensiferam dixerat, quae facultates dum stimulis affliguntur, reactione sua morbum declarant, morborum tamen causam proximam: crasin humorum alienatam esse profitebatur, quae sub acidae aut putridae (alcalinae) aut mixtae forma, a nimia sanguinis in corruptionem hanc proclivitate dependet, et stagnando haec acrimonia non evecta, partes solidas varia ratione laecedit, infectione in similibus corporis humani partibus similem corruptionem inducit, quae sub tumore rubro magisque sensili forma, inflammatio vocatur, per partes putridas toties excitandam quoties sufficiens ipsis inest acrimonia. Causa inflammationis proxima in accessu virium radicitur, quibus sanguis vasis impellitur latici rubro non designatis; causa vero magis remota obstipatio vasorum est, per spasmum eorum fortiozem aut vim extus comprimentem aut sanguinem coagulatum inducenda. In exitu assignatione a reliquis non differt nisi quod pus a globulorum sanguineorum, inflammatione ad putredinem dispositum, resolutione derivet; quod pus non putrescat, nam quibus major ad putredinem partibus nisus inest, secernuntur et per organa excretoria colatoriis continuo traduntur, pus in vasis partis suppurantis circulum absolvit quem prius percucurrit sanguis. Scirrhi etiam naturam propius aliquantum assignare sattagit; oritur nempe si congeries spasma contractorum aut compressorum vasorum in tumore inflammatorio conscrecit, ut laticis omnis cursus inhibeatur, quo ad gradum certum facto, fluida in putredinem nisum adquireunt, acrisiunt et dolorem vehementer purgentem lancinantem movent. Gradus altior canceri hujus oculti est apertus. Dum de putredine sem-

per agatur, therapiae est eam praecavere vel amovere, quod sanguinis missiones producunt, vires sanguinis perfluentis minuendo humorumque motum debilitando, refrigerantia et antiseptica perficiunt, intestinorum glandulas iritando quae tum particulas putredini proximas e circuitu sanguinis eliminando hunc a corruptione defendent etc. — Praesto est ex altera parte schola, quae Halleri de phisiologia conatibus edocta quantum partes singulares in systema unitae, ad explicanda vitae phoenomena polleant, ad hanc dignitatem systema nervosum extulit et cum nervorum actioni summam in organismi functiones potestatem tribuit, et ex influxu nervorum in partes solidas (omnis latex potius passionem exhibet, emortuusve est) omnis vitae sanae et morbosae phoenomena explicavit.

Pathologiae solidaris — nomine inclaruit quae nunc praeunte *Guilielmo Cullen* vigere incepit. Inflammationis theoria inde etiam ex nervorum influxu exorditur, et quum primus effectus passionis, nervorum spasmus est, spastica quoque contractio vasculorum sanguiferorum in parte quadam, causam sistit efficientem omnis inflammationis. Huic innixus fundamento et symptomata et diversos exitus inflammationis explicat. Resolvitur illa, si spasmus, remota causa externa, aut per concitatum motum sanguinis ipsius superatur, aut per remedia componitur in partem inflammatam aut totum corpus agentia. Sanguinis depletiones maximi inter ea sunt momenti. Effusio sanguinis vel illius seri in contextum cellulosum spasmum quoque solvit, quare haec etiam inflammationis exitum specialem sistit; si in inflammatione organorum internorum exsudatio illa seri vel lymphae contingit, in duas ista secedere solet partes, spissioem nempe mucosam, qua partes adjacentes congluinantur (concretio) et in limpidiorem, quae in cavitatibus proximis colligitur, et hydropis speciem ellicit.

Reliquos inflammationis eventus, suppurationem, gangrenam, denegato solummodo scirrhus qua tali, cum reliquis autoribus participat. Suppuratione insequuta, per

remedia externa tepor in parte illa modicus est sustinendus, et exhalatio retinenda, quibus pars relaxatur, emolitur, et pus tandem facilius penetrare potest. Specifica remedia superationem inducentia denegat. In gangrena distinguit gangrenam a spacelo, priorem contextum cellulorum posteriorem etiam musculos vasa et nervos devastantem. Exitus hic sedule est praecavendus, si intravit, non nisi remotione partis gangrenosae propagatio praepedire potest. Chinam solummodo utilem esse in gangrena ex tono solidorum deperdito, secus non prodesse.

Nequae schola haec duplex omnes contentos fecit medicos, quorum nonnulli utriusque partem amplexi, alii nullius opinionis, experientiam ducem sequebantur. Huc *Aug. Gottl. Richter* pertinet, quoad principia eklecticorum numero intercalandus. qui naturam inflammationis in spastica tensione et adaucta constrictione atque oscillatione sensile — iritabilis fibrae vasorum, in humorum adfluxu majori et motu rapidiori eorum per partem inflammata consistere credidit, et duarum haec anomaliae, iritatione leviori vel fortiori producuntur, subsequam labent adauctam sensilitatem et iritabilitatem atque dolorem, quare sub inflammatione leviori, adauctam fluidorum in parte correpta secretionem, sub fortiori, per spasticam luminis abolitionem siccitatem et secretionis interruptionem observamus. In genere sub hoc processu rapidior fluidorum motus adest, quin tamen, prout sub inflammatione extravasato complicata, segnior quam secus motus patet. Opinionem *Hewsoni* aliorumque in inflammatione dissolutionem sanguinis proxime obtineri cum successu refutatur. Sedem hujus morbi in arteriarum fines collocat, quin tamen venarum initia semper immunia agnoscat. Exitus morbi triplex est resolutio, transitus in alium morbum, gangraena. Suppurationem imminentem formatam et extus prorumpentem characteristicis signat notis. Indurationem a scirrho probe distinguit, quem nuquam inflammationem excipere affirmat. Therapia ejus rationalis hodiernis exemplo est principiis. Reticeo theoriam quam

statuit *Wedekind* quae congeriem obsoletarum voluntariarum hypothesium, conceptuum vagorum et contradictionum in explicandis humoralis pathologiae principiis sistit, eo notatu digna quod et tempore moderno diu obsoleta in lucem quandoque poni doceat.

Non majoris sunt conatus humoralis pathologiae, per chemiam, cujus ad finem saeculi elapsi magna incrementa cuncti perspicerent, iterum inclarescere, dum doctrina de vi vitali sensim magis convaluit quae omnino hasce theorias chemicas in sui emolumentum vertebat quin tamen mere chemicam, organismum naturae, anorganicae aequiponentem, theoriam profiteretur. Irritabilitas et sensibilitas sunt quidem duae quoad essentiam differentes facultates, praeter quas vero aliae adhuc insunt singulares partibus vires, quae cunctae non totidem vires diversas quoad indolem efficiunt, sed a communi vi vitali cunctae, qua totidem ejus in partibus et systematibus manifestationes derivandae. Hic prolata qui primus in inflammationis theoriam transtulit *Petrus Frank* erat. Quae de notis characteristicis et divisione hujus morbi loquitur, prius exposita jam continent, naturam vero ejus in vi vitali vel potius sensibilitate partis inflammatae, ultra normam excedente reponit. Quo major vis musculariset inde derivanda irritabilitas eo major dispositio, quo major partis sensibilitas eo major ad inflammationem ejus proclivitas. Si, jam irritamentum notabile inflammatio sequitur intensior, non vasorum obstipatio sed singularis nervorum irritabilitas est accusanda, quae vasorum irritabilitatem augendo, contractionem spasticam in illis provocat, qua mediante sanguis aut fluidum lymphaticum in coagulum pronum in textum cellularem vicinum urgetur, quod sub forma transsudat mutata. In exitu inflammationis hydropis acuti originem in intestinorum phlogosi observandi, vel a morbi intensitate, vel a sanguinis missionibus intempestive et incaute institutis explicat. In therapia plane hodiernus.

Non discrepant hiscum quas *Hufeland* proponit circa hoc

thema doctrinas. — *Reil* in inflammatione vires vitales vasorum proprie correptas, rubore tumore ardore dolore et transsudatione, morbum patefacere statuit. Sedem in vasis capillaribus et arteriarum venarumque intermedio determinat, genera inflammationis tria agnoscens: Synocham, typhum et paralysim. Synocha arteriarum irritabilitatem auctam exhibet. Typhus character inflammationis aut originarius est, aut inflammatione, cum efficientia vis vitalis imminuta, serius copulata, nunc demum exurgit.

In paralysi, organa correpta vim vitalem sub utraque manifestatione, receptivitatis et reactionis, fere aut ex integro amiserant. Minimum hujus gradum in chronicis nonnullis inflammationibus invenimus, quae cum vasorum laxitate, sine dolore incedunt, sanguinique sicut in partes emortuas aditum permittunt, quo hepar in climatibus calidis ad enormem adauctus spectet. Paralyseos culmen, cum vegetationis processu silente, dum massa organica propria vi mixtionem sibi reservare nesciat gangraena excipit, totumque chemicis influxibus naturae anorganicae subest. Character ille paralyseos in inflammatione nunquam primarius est, sed ex summis synochae vel typhi characteribus primo evolvitur. Causam proximam inflammationis nos adhucdum latere arbitratur; quod eminenter pati observamus, vis vitalis vasorum est, quae in synochca exorbitans, in typho pro parte debilitata, in paralysi dejecta est. Transitus inflammationis suppurationi, intumescencia, induratio et concretio, bydrops, nec non gangrena sunt. In therapia noster, quapropter illud tantum notamus, eum primos inter fuisse qui mercurio in morbis inflammatoriis locum vindicarunt.

Inter medicos quorum conatu de inflammatione doctrina majora cepit incrementa jure quoque *Johann Hunter* nominatur, quamvis quae lacteus scripsit magis rhapsodicae sunt specialium huc spectantium materierum collectiones quam systematica totius objecti exposi-

110. Inflammatio adhaesiva et suppurativa est, intermedium est erysipelas. Dantur inflammationes cum adaucta, aliae cum minuta partis efficacia, quorum primae in suppurationem, hae in gangraenam transire solent. Datur ad inflammationes dispositio, cui optimae occurimus causas occasionales vitando vel minuendo.

Vis vitalis fortior vel debilior in sanando dirigit, haec enim est, quae irritabilitatem nimiam compescit eamque reactioni parem efficit, quare vita intensiori instructa organa musculi cutis et cordi vicinia facilius inflammata sanantur, quam ossa ligamenta tendines etc. Aliud vero quod ut sanatio facilis sit postulatur, dignitatis organicae minus fastigium est, cum hic influxus in integram oeconomiam minor, minorem etiam functionum et systematum passionem pedisequam habet. In individuis debilibus caeteris paribus decursus morbi magis protrahitur sanatio minus perfecta inducitur. Non omnibus partibus par in inflammationem finest propensio, neque eodem ubique notatur caractere; sic textui cellulari in adhaesivum et suppurativam, dum e contra rara in musculis, vasis, nervis, verbo organis, quorum conservationem natura praeprimis intendit, suppuratio. Inflammatio magna intensitate incedens uno fere momento ab adhaesiva in suppurativam transgreditur. Quaevis inflammatio ubicunque obveniat in peripheria intensior est, quam in interioribus, ex ea naturae lege, qua stimulos centrifuge niti praecipitur, ubi ergo fortiores irritationes, etiam validiorem pedisequam habebunt inflammationem, id, quod conservationi bene prospicit puris ejectionem facilitando. Textus cellularis et membranae cava vestientes inflammationem dummodo genuina sint semper producant adhaesivam, suppurationem arcentem; e contra membranae mucosae canales interni etc. in stadio adhaesivo non commorantur, suppurativum illico ingredientes. Suppuratio haec in plagis secretoriis, secretionis solum alienationem exhibet, quae cessat, si inflammatione adaucta indoli erysipelatosae accedit, fitque adhaesiva. Consensus ope in-

inflammatio ulterius propagatur, quin tamen consensus vicinus saepius locum habeat, ita ut partes structura diversae etsi contactum cum inflammatis foveant, insontes maneant vinculo consensuali propiori deficiente. Insunt inflammationi stadia quibus, quos observamus effectus varii producuntur suntque exitus inflammationis in concretionem, suppurationem, ulcerationem et vitae abolitionem partis effectae. Ipsa inflammatio mox manifestatio est quorundam morborum specificorum, mox causa occasionalis aliorum morborum, mox sanationis molimen. Dantur in qualibet inflammationum specie varietates, plurimae in adhaesiva. Quaelibet inflammatio morbo nexa specificam quandam recondit indolem, complicata itaque est. Febris in inflammatione bonum symptoma, si gradui respondens, simplex est. Resolutio, perfecta inflammationis sanatio, in stadio adhaesivo inducatur, quod in traumaticis ut plurimum contingit, quod vero etiam morbo universali praesenti tentetur, nisi supurationem indicatam inveniamus. Dependit caeterum therapia ab inflammationis caractere et structura partis adfectae singulari. Expositio reliqua therapiae, nostrae consentanea est. Eklecticissimum, cui plurimi addicti fuere medici, et fluctuantem maedicinae theoriam, quae hucusque vigit, *Brown* reformandam suscepit, ad unum, simplex et mere dynamicum principium omnes vitae apparitiones reducens, quod illi incitabilitas — sive vis in omnes stimulos renitens — fuit.

Omnis vitae conditio per hanc incitabilitatem et stimulos — sive exurgentem ex conflictu amborum incitationem definitur. Gradus incitationis medius sanitatem, supra aut infra hunc gradum recessus, morbum exhibet. Morbos in sthenicos et asthenicos sejungit, quorum ultimi in duplex secedunt genus, prouti ex asthenia directa — debilitate vera ex stimulorum subtractione — vel asthenia indirecta, ex debilitate per stimulorum nimis sortium aut justo longius agentium applicationem inducta — repetuntur. Caeterum morbi sunt vel universales vel

locales, prouti ex principii vitalis adfectione, vel ex topica texturae et struturae laesione oriuntur.

Brown inflammationem quoque hypersthenicam et asthenicam assumit, universalem et localem, et causa illius proxima disharmonia inter incitationem universalem et localem est. Quaeque incitationem augment potentiae nocivae diathesin inflammatoriam inducunt, cui exaltata systematis sanguiferi actio subest, et cujus progeniem localis inflammatio hypersthenica sistit; haec itaque inflammationem universalem nunquam antecedit, sed semper sequitur.

Idem valet de inflammatione locali asthenica, quae sequela diatheseos universalis asthenicae est. Huic semper debilitas totius systematis sanguiferi subest, et causam debilitatis sanguis abundans in vasis inflammatis sistit, quare etiam iisdem effectibus, uti inflammationes hypersthenicae, sese manifestare solent. Sed dantur etiam inflammationes asthenicae locales, quibus nulla diathesis universalis subest, et causis debentur, quae texturam et structuram partis alicujus organicae laedunt; inflammatio itaque universalis, si insequitur, sequela localis, et quoque asthenica est. Manifestatio symptomatum in parte quadam inflammata semper est eadem, et differentia solummodo consistit in conditione status universalis systematis sanguiferi, quod diathesi hypersthenica aut asthenica laborare potest, quam inflammatio localis sequitur.

Cum omnes morbi duplici inittuntur incitationis momento — hyperstheniae et astheniae, therapia quoque nonnisi excitans et deprimens esse potest, quod etiam in inflammatione valet.

Hoc systema Brunonis eo magis placuit medicis, quum systema solidaristarum proxime excipiens ceterum simplicitate et apparenti consequentia philosophica illos seduceret ipsum suspiciendi. *Erasmus Dawin* in Italia, *Weikard* et *Röschlaub* in Germania ipsum introducebant, a quibus etiam magis excultum et modificatum propagabatur, et sub incitationis theoria inclaruit.

Non defuerunt ex altera parte viri, qui a primo huius theoriae introitu, illico insufficientem et perniciosam illam infestabantur; huc *Huffeland* spectat et *Pfaff*, qui magis ex chemico exorsus principio, artem nostram in sphaeram experientiae reducere conabatur, quamvis quae incitationis theoria congrua largiebatur, non intacta reliquit, ita ut in explicandis inflammationis theoriis Brononi maxima ex parte accedat. —

Eundem locum *Horn* tenet inflammationem quod adinet, quam affectionem localem partis alicujus, in hypersthenia vel asthenia consistentis, cum actione adaucta functionis extrorsum tendentis, definitur, cujus forma, rubore, dolore; aestu et tumore patet. Sub fine morbi exitus et transitus sejungit in vitia organica. Ad exitus solutio, suppuratio et gangraea numerantur. —

Tanta nunc erat moles scholarum et theoriarum ut medio cuicunque votis satisfacere poterant, sive nunc stricte proposita sequeretur, sive ex plurium numero compilaret, quin ideo erant qui propria sibi conderent adhuc dogmata, alii qui genuinam colerent vel profiteri adnuebantur experientiam. Priorum numero intercalandus venit *Neumann*, cui: organa circuitus et vasa capillaria antagonisticae partes, febris disharmonia inter sanguinis circulum et nutritionem atque secretionem in genere sive effectus antagonismi inter vasa majora et minora, igitur morbus systematis vasorum sui generis. Alter viget antagonismus inter nervos et vasa, similis eo, qui vasa majora inter et minora, vel cerebrum inter et nervos obtinet. Inflammationis focus in vasis minoribus est, quorum igitur morbum exhibet, in abnormi eorum dilatatione reconditum, unde etiam tumoris et ruboris explicantur phaenomena. Dolor a nervorum compassione passiva dependet, dum nervi motui prospicientes et qui sensationi praesunt, utrique in functionis exercitio impediuntur per praevalentem vasorum actionem, quae abnormis nutritionis et secretionis causam quoque gerunt. Arbitrariam, imo principiis et experientiae adversam, nunc explanat

disquisitionem relationis inter expansionem et contractionem ad sthenicum vel asthenicum inflammationis characterem.

Expansibilitas enim et contractilitas, sic ait, antagonisticae sunt manifestationes ejusdem vis, vitae. Aequilibrium eorum, sanitas; disproportionio, causa proxima morborum, quorum forma definitur praedominio, quod vi uni alterive in hocce vel alio organo competat. Topica inflammatio est praedominium expansibilitatis in vasis minimis partis. Radicatur in se spectata mox in exsuperante mox imminuta vi vitali, huc enim referuntur tam expansio quam contractio; quapropter mox a causis derivanda, quae expansibilitatem vasorum directe augent, aut quae contractilitatem imminuunt, antagonisticae expansibilitati praedominium vindicando. Si primum hypersthaenica, si alterum asthenica adest inflammatio; hic contractionem augere, ibi expansionem directe imminuere medico incumbit.

»Gravissime fatum tulit theoria Brownii quae cum sufficientia momenta ad illustrandam vitam humanam in vi iritabili non reperiisset, ad *philosophiam naturae* confugit, haud sperans, citato cursu se in voraginem demersuram; principiis quippe philosophiae naturalis altius exulta medicina nos edocuit, nimis circumscriptam et angustam esse doctrinam, quae tantum qualitatem virium organicarum respicit; sed quod etiam qualitatem vitae singulorum organorum et systematum contemplandam esse, in singulisve partibus organicis qualitatem antedictarum vitae dimensionum omnium, quum quodlibet organon et systema ad corpus organicum in tali existat relatione, quemadmodum oeconomia animalis ad macrocosmum. Hunc tamen nobilem conatum principiorum philosophiae naturalis, multi asseclarum qui medicinam coluerunt non perspexere, quapropter scrutinium in speciales vitae functiones neglexerunt, systema medicum speculatione duce solum ex summis vitae principiis construentes. Monumenta ergo artis, quae tali ratione edidere, potius facinora literaria dici possunt.« Quin, quas auctore *Schelling* fun-

data, aliorumque temporis hodierni virorum conatu explanata, philosophiae naturalis principia contineant theses, hic proponere in mente sit, quibus ceu modernis supersedere arbitror: quae inde formabantur circa inflammationem theoriae in quantum licet adducam, nonnullorum circa hoc thema vulgatorum auctorum sententias proponendo.

Troxler erroneum esse, inflammationem morbum vasorum sanguiferorum haberi, dicit; eam potius morbum organicae identitatis equidem dimensionis tertiae statuendo. Est illa morbus totius in quo adparet organi, dimensionem tamen hanc tertiam (indifferentiam, identitatem motus et quietis idealis et realis spatii et temporis — organisationem, chemismum, reproductionem) nunquam assequitur, quin expansio revera contractionem et haec illam intuscipere minetur. Processus organicus cum in oppositione factorum sub fluctuante hocce motu consistat, tensionis hicce gradus erit, quod inflammationem constituit. Duplicitas haec, duplicem ejus exhibet characterem, unde divisio in activam et passivam, sthenicam et asthenicam inflammationem, quorum prima auctae contractioni altera expansioni respondet. In vasis praesto est relativa differentia arteriarum et venarum; eorum anastomoseos punctum centrum indifferens est, cujus utraque vasa radios exhibent differentes: in arteria sensibilitas sive expansio in vena irritabilitas sive contractio praevalet. Influxuum quisque in hanc relativam identitatem in partem quamdam eam flectet, oppositae detrahendo. Duplex ergo pro diverso influxuum nisu observatur directio, quae vero primarie aut in expansione nimia arteriae aut venae contractionem radicatur. Hoc momentum efficit morbum relationis, nilque praeter congestionem; quo magis vero in polos secessus crescit, ut differentiae arteriae et venae opponatur, eo propius accedit et crescit inflammatio. Suppuratio non est secretio neque substantiae organicae solutio, sed momentum magneticum in processu chemico exhibet in organismo observante sicut sub inflammatione momentum electricum. Sub hocce processu sanguis orbat in polum utrumque

discessis oxygeneo et carboneo, quare potentia destitutus, cum particulis verosimile in compage organica formatis ejectionisque qua pus remanet. Parce si reliquis supersedere credidi. — Non minus expressionem vagarum inusitatarum atque assumptionum sibi contradicentium plena sunt, quae *Mercus* circa hoc thema adducit, quaeque terminologia insolita, mystica, dubia, in errores ducente atque miris assumptis superantur a *Goedeno*.

Coaevi philosophiae naturalis, in arte medica dominantis, medici sunt, qui experientiam ducem sequentes, more hippocratico hanc coluere. Inprimis hic numerandus *Roeschlaub*. Braunianismo prius addictus, insufficientem hanc theoriam serius cum indagacionibus et observationibus ex clinico desumptis mutavit, quin tamen et illum ubique a mysticismo, quamvis profundiora amplectente sine perspicuitate tamen et notionum claritate, liberum declaremus. Elementa omnium naturae entium, formae sub quibus natura in adparitionibus manifestatur, ignis (principium impraegnans) et materia sunt (principium impraegnandum). Cuiuslibet producti origo aequiparanda generatione; talis quoque est morbus, ortus ex interpositione vitae extraneae in organismum hunc sibi ad sui normam reformando. Quod et de inflammatione valet, ad cuius originem synthesis generantis eique analogo concipientis requiritur, quorum unio dum aut revere devasationem aut hanc molientem impetum involvit, eliberat vim ignivivam (*Feuerleben*) quod in copulam vitae materialis analogae (*materisches Leben*) nititur, seu qua generans persistere.

Ignivivum ergo est cuiuslibet inflammationis producens aut destructione eliberatum aut forinsecus in organismum illudens, aut sphaerae vitali elicatum; quapropter inflammationis generatio aut indirecte contingit aut directe. Quaevis inflammatio est propria, peculiaris, ex postulans homonymiam foecundantis (ignivivi) et suscipientis (corporei hominis — *Leiblichkeit*) affinitatem utriusque. Est inflammatio processus vitalis ex formato semine

singularis entis evolutus, eo tendens ut, sibi paret proprium materiale corporeum, quod semen generationis ejusdem entis, sibi construit individualiter peculiare corpus. Non est ergo cur inflammationem processum necessario morbosum dicamus, qui nedum obtinet vigente vita hospite in organismi sphaera, sed primum immediate in hunc efficientiam suam exerendo. Homines saepe et vehementer inflammationibus corripi, a nisu entis peregrini in eorum organismo formas exserendi dependet, quo vitas illi propria in phisicam hominis vitam illudit. Quod secus inflammationis exitus dicebantur, potius ejus tendentiam designat construendi novum peregrinum organismum.

Non inflammatio verum sphaecelus atque scirrhus in hoc morbo summam rei constituunt quibus inflammatio praeparans est. Neque in sphaecelo emortuae humani partes visuntur verum potius peculiare formationes materiae. —

Majorem nacta est assensum theoria, quam tradidit *Bartel* quae mysticis expressionibus expers ab influxu, quem singulis systematum partibus tribuere in inflammationis origine, symptomatibus et decursu cogimur, explanando orditur. Sedes inflammationis vasa capillaria sunt, quae oeconomiae interiori partium designatae, ex organis nutritionis in circulationis et sanguificationis convertuntur. Nervorum actio in nutritionem sublata est, vel imminuta, regressiva proin doloreque manifestatur. Vasa lymphatica et textus cellularis suppressione quoque laborant. Congestio differt ab inflammatione dum praedominio tantum unius et relativae debilitati alterius partis systematis vasorum debetur, estque symptoma non morbus. Varia sanguinis in inflammatione qualitas varias hujus characteres efficit, sthenicum et asthenicum cum intermediis venosis Inflammationis genuinae character fundamentalis aucta oxydatio est, quapropter facillime in pulmonibus obvenit. — Theoriam, naturam inflammationis complectentem a *Dzondi* sequentibus exponam.

Consistit in abnormi actione systematis plastici, quod stimulo concitatum novas et abnormes producere conatur materias. Systema plasticum inter arterias et venas distributum, materiam regenerandi organismi sanguine repetit, vim vero vitalem a nervis, utriusque ergo vita intensior, plastoses anomalas provocare intendit, inflammationis ope primum formandas. Hae productiones inflammationis, quae tantum sub decursu hujus regulari evolvuntur, continent contagium, quod inflammatione provocatum, hanc iterum provocat. Sine inflammatione non formatur contagium et prout omnia contagia in inflammatione radicanur ita et omnes inflammationes sunt morbi contagiosi. Quoad causam inflammationes sunt quantitativae et qualitativae; quorum primae, prout vel stimulo peculiari (contagio) vel solitario sed diversa organismi systemata infestanti debentur, varie iterum dissiliunt, qualitativae vero inflammationes semper contagio positae, irritationem supponunt specificam vires organicas systematis plastici penitus mutantem. Non ubique obvenire possunt omnes, sed unum organon vel systema vel plures simul infestare possunt. Intensitas inflammationis a differentia contagium inter et naturam organismi dependet. Inflammationes integrum nervorum systema sollicitantes, febris nexae, sine damno organismi, prout quantitativae, supprimi nequeunt, organismum vero ab influxu ejusdem vel similis contagii defendunt; ubi vero haec universi systematis nervosi affectio non exurgit pluries idem repeti potest processus. Decursus omnis inflammationis tribus absolvitur stadiis. Stadium primum, ac si id prodromorum antecedit, est stadium inflammatorium seu efflorescentiae; exhibet symptomata concitati systematis plastici, nervosi et sanguiferi; quorum prioris efficientia adaucta: rubore, tumore, imminuta aut suppressa aut alienata naturali se et excretionem manifestatur; symptomata systematis nervosi: calor, dolor, adaucta sensibilitas et sensus communis alienatio sunt; systematis vero vasorum: congestio pulsusque alteratus. Inflammatio in stadio hocce in quo inficiendi:

abest facultas supressa, sine producti novi generatione terminatur. Stadium secundum (plasticum sive maturitatis) cum formatione morborum producti inchoat atque illo formato crisi inchoat absolute aut relative lapsa, coenesteseos alienatio a priori diversa, sanguinis adfluxus moderatur, sanguinis indoles phlogistica sensim compescitur, pulsus minus fortis attamen frequentior, tumor decrescit, nisi mole producti morborum augeatur. Hic contagii inflammatione formati inficiens inchoat transplantatio, neque stadium illud sine detrimento supprimitur, quo producti maturatio inhiberetur, unde stases et indurationes aut metastases. Productorum morbi indicia, saepe longe remota ab inflammationis foco, non semper animadvertuntur. Stadium tertium (excretionis, criseos) in eliminatione maturati producti, disseminatione, consistit. Symptomata stadii secundi lente vel cito decrescunt cumque coenestesi composita reconvalescentia intrat. Eliminatio haec, diversa pro diversitate productorum, quibus fit, nec non temporis quo absolvitur, completa est vel incompleta, crisin exhibet solennem vel partialem. In hoc stadio infectio facillima. In evolutione causarum, quas in qualitativas et quantitativas, hasque iterum in mechanicas, chemicas et dynamicas subdividit, causae enim qualitativae mere dynamicae sunt, nec non in therapiae legibus, quae methodos: directe et indirecte, quantitative et qualitative, antiphlogisticas continent atque trinis adaptantur stadiis hodiernis accedit effatis, nisi quod stimuli inflammatorii et contagii respectum singularem habet. —

Scenam claudant, quae circa hoc thema docuit *Kreysig*. Est illi inflammatio morbus evolutionis partialis, loci distincti, a causis singularibus localibus, vel universalibus anomaliis praecipue in humorum crasi repetendus, rarius indirecte et conditionatim a nervis excitatus. — Est illa morbus organismi formantis, ita ut inter morbos sphaerae formantis consummatissimum, dici possit, quod ut morbi reliqui hujus sphaerae rite id est

qua turbae relationum struentium (Bildungsverhältnisse) dignoscantur, substratum in judicio exhibet. Continet illa omnes actus speciales unitos a quibus formatio in corpore dependet qui tamen magis adumbrati prominent. Pertinet huc major materiae adfluxus, eminentior systematis capillaris actio, formatio majori quantitate principii nutritis quam consumitur, cum sensilitate et sanguinis elaboratione auctis. Haec in formationem et nutritionem tendens efficientia exsuperans, saepius ab integro independenter agit. Dum inflammatio in unilaterali, rapidiori actione systematis capillaris consistit, analoga est febri ubi integrum systema vasorum concitatum est, in oppositione sua ad systema nervosum, in quo dolorem parat, quin hoc re vera quamvis modificationes graves in eo nitantur aegrotet, excepto nervo partis affectae qui pars constituens organi vegetativi de morbo participat. Est inflammatio morbus, fundatus in disproportionatione virium nutrientium et conservantium atque circumstantiarum intercedentium. Conditionibus, a quibus nutritio et conservatio dependent, variandis multopere, est ex quo diversitatem internam inflammationum explicemus, nec non varium ejus significatum atque exitum. Originetenus vero semper in conservationem nisus ei inhaeret, quod ejectione peregrinorum manifestatur quae majorem minoremve victimam sibi expostulant sub puris vel sphaceli productione, vel etiam nisus ille in conspectum venit sub sanationis molimine in laesionibus, hocque vel via brevissima per unionem immediatam dissectorum plasticae lymphae ope, in quamox formantur vasa, vel mediante suppurationis. Symptomata inflammationis cardinalia: rubor, dolor, tumor et pulsans motus sunt praeter aestum, quorum tamen quodvis caractere proprio atque distincto gaudet. Quaevis pars huic obnoxia morbo, qui in systemate capillari residet et in parenchymate partis remolliendi. Exitus sunt: resolutio, omnibus anomalis complanatis et vita imorbosa capillaris partis cujusdam in aequilibrium posita cum systemate integro; transitus: in gangraenam, in aquae lymphae aut

puris effusionem, remollitionem structurae partis. Transitus vero ultimi potius novarum formarum geneses sunt.— His mihi conspectus historicus theoriae inflammationis clauditur, tempus enim praesens exponere in votis non erat, cujus perlustrationem in auctoribus classicis modernis quisque quaerere sciet.



Theses defendendae.

I.

Varietas organisationum a coeli plaga dependet.

II.

Medullae ossium utilitas nedum satis designata est.

III.

Casti mores in valetudinem corporis valdopere influunt.

IV.

Dormire est vitam somaticam agere.

V.

In oculo certa vestigia plurimorum morborum inveniuntur.

VI.

Tractamen ulcerum ad forum medicum spectat.

VII.

Aer atmosphäricus non aggregatum, nec mixtum, sed vivum cosmicum est.

VIII.

Videtur quod natura cuilibet terrae zonae sua dederit medicamenta.

IX.

Matrimonium morbos generat et sanat.

X.

Argumentatio practicatorum post hoc ergo propter hoc, summe fallax est.

XI.

Nil dicit, qui neglecto caractere, de fistula morbo loquitur.

XII.

Datur amaurosis quae antiphlogisticis sanatur.

XIII.

Somnia et suam adferunt utilitatem.
